

1644.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA,

SISTENS :

THERAPIAM MEDICAM
ULCERUM CHRONICORUM,

QUAM,

ANNUENTE AMPLISSIMO MEDICORUM ORDINE

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,

UT

GRADUM, HONORES, PRIVILEGIA ET IMMUNITATES
DOCTORIS MEDICINAE ET ARTIS
OBSTETRICIAE

RITE ADIPISCATUR,

LOCO CONSUETO DIE XVI. JUNII PUBLICE DEFENDET

AUCTOR:

CAROLUS LUDOVICUS GAUGER,
DORPATENSIS.

DORPATI,

LITERIS J. C. SCHÜNMANNI.

MDCCCXIV.

I m p r i m a t u r,

ea quidem sub conditione, ut simulac dissertatio haec typis excusa sit et antequam divulgetur, septem exemplaria, quae secundum jussum supremum distribuenda sunt, administrationi Universitatis, cui censura librorum mandata est, tradantur.

Dorpati, die xx. Maji MDCCCXIV.

Dr. Daniel Georgius Balk,
Pathologiae et Therapiae Professor publicus
ordinarius, a Consiliis Collegiorum Russicis etc.
Censor.

D 17792

P r a e f a t i o.

Quem amicus, Groot, in conscribenda dissertatione sua, paucas ante hebdomades, incessit, tramitem nunc sequar. Ille enim pathologiam medicam ulcerum chronicorum objectum speciminis inauguralis ex aliis elegit; ego de therapia medica ulcerum eorundem verba facere apud animum constitui: quae dissertationum biga totum igitur hujus rei amplectitur. Fateamur ambo, ut sententiam cl. Balkii, praeceptoris venerandi, sequamur, qui tum e cathedra academica discipulis cogitata sua tradidit, tum in instituto clinico, quod vir laudatus moderatur, methodum suam ejus modi ulceribus medendi vix unquam fallacem comprobavit adituri-

entibus. Ulcera enim foedissima, per annorum seriem inveterata, ex omnibus cachexiarum generibus orta iisve conjuncta, tempore perbrevis, vix uno alterove excepto, hac methodo feliciter sanata sunt, diariis hujus nosocomii testantibus. Denique liceat moneam, ut respectu, notionis, divisionis, aetiologiae, decursus, exitus ulcerum chronicorum lecturos semper ad dissertationem Grotii delegam.

Generalis ulcerum chronicorum therapia.

§. 1.

Ulcus quodvis nunquam, quoad id tantum unius corporis partis morbus manserit, curationem aliam ac topicam, quae e legibus a natura ulceris ipsius indicatae methodi instituenda sit, desiderare, imo postulare demonstraturus sum. Quam ob rem hic nobis vitio vertatur oporteret usus eorum remediorum, quae ipsorum vim in totum corpus exercent, immutantibus, cum non utique necesse erat, hoc modo organismi statum et id quidem forte magis noxae ejus, quam utilitati.

§. 2.

Prorsus non proinde est aestumandum, si ex morbo quodam, totum corpus vexante, ul-

cus originem suam ducit; tum in eo tractando et medicamenta interna indicari, quis est, qui non sentiat; sed in hoc casu localis tractatio, ut appellant negativa sit oportet i. e. omnia, quae in ulcere, quin sanetur impediunt, auferenda, praeter hoc studium non solertissime ad ulcus attendas, bene omnia successura, sublata causa noxia, persuasus.

§. 3.

Ratio ulceris tractandi, si quidem causa est totius organismi laborantis, ab ea in §° superiori explicata parum discedit, nam hoc in melius restituto ulcus ad instar mali topici tractari decet,

§. 3.

Ulcus, cum morbo quodam organismi complicatum, non vero ex eadem origine manatum, sed fortuito ejus socium factum, postulat uno eodemque tempore duas peculiare curandi methodos, alteram duntaxat, quae universo morbo congrua est et alteram quae autem locali malo respondet; interea quidem eae sibi non contrariae sint et altera alterius rationem habeat, opus est, quia mala, quae initio separata erant, facile intimam societatem ineunt ita, ut ea paulo post tanquam coalita videas; nam semper organismi status, qualis sit in sin-

gularem ipsius partem, vim suam et vicissim vitium locale, si diu continuat, in illum et suam vim certo exercebit.

Haec ce leges primariae, dum nobis supeditant rationem, singulis ulceribus medendi, praemittendae visae sunt. Nunc equidem generalem ulcerum therapiam necessario in duas descripturus sum sectiones, quarum

prior summas localis sic dictae ulcerum tractationis rationes,

posterior summas tractationis quoad organismum male affectum, rationes continebit.

§. 5.

Prima sectio

de

Summis localis sic dictae tractationis rationibus.

- A. Respicendum est ad conditionem proximarum ulceri partium pathologicam, quippe quae ut officina saniei illius erodentis aestu-mandae sunt, et hic primum locum habent sequentes regulae:

§. 6.

- a) Si quidem in partibus, quae ulcus cingunt, inflammationem admodum asthenicam,

vasa nimis impleta, varicosa atque dolores ne-
tquam cessantes animadvertis, hirudines statim
illis admovendas esse scias; quo fit, ut nimia
impletio vasorum diminuat, cui ob distentos
vasorum parietes natura non par est, et subacta
impetu sensibilitatis, reactio horum in sangui-
nem adaugeatur. Quae remedia indicationis
rationi convenienter excipiant opus est fomen-
tationes roborantes, frigidae neque tamen geli-
dae, at ulceri vero ipsi applicari possunt medi-
camenta partim concitationem mitigantia et par-
tim involentia, inter quae longe optimum et
valentissimum mixtionem ex mucilag. cydon. et
extr. hyoscyami in consistentia satis spissa lin-
teis carptis illitam refero; neque hic dissimili
efficacia est extr. opii aquos. c. gi. arab. vel tra-
gacanth. in pulveris mucilaginisve forma appli-
catum. Sicubi autem rheumaticam incitationem
delitescere videmus camphora sed in parvulis
dosibus, quia incitatio forte vehementior fieret,
illi admisci potest. Deligatio vero ob magnam
sensibilitatem, ne sanguinis circulatio prohi-
beatur, quam maxime potest, in hoc loco sit
laxa.

§. 7.

b) Quodsi autem partes ulceris proximas
pallidas, erysipilaticè inflammatas et doloris

plane expertes inspicimus, id signum est magnae
astheniae. Cui quidem incommodo promptius
succurri haud potest, quam involutionibus, a
Thedenio nominatis *), quippe quae leni im-
pressionè non solum mechanice confirmant, sed
etiam efficiunt, ut orae ulceris se appropin-
quent. Interim illud hic ante omnia prospici-
endum, ut fasciae spirales, quo propriiores
sunt orae ulceris, eo arctius, quo remotiores,
eo laxius adstringi debeant, et tandem, ne pri-
mae quaquam forte cedant consultius est, sin-
gulam fasciam non nullis acus ictibus assuere.
Sicubi situs et forma partis, cui adhaeret ulcus,
quo tammodo patiuntur, duas fascias, quarum
una supra ulcus applicatur et altera infra id su-
mere erit expeditum. Lateribus porro juxta ul-
cus, quod hoc modo apertum vel liberum habe-
mus, diversae formae compressiones imponen-
dae sunt et deinceps, supra id tertia item fascia,
ne fundus ulceris premi et effluxus pueris inter-
cipi queat, quam levissime vincitur. Quibus

*) V. ejus neue Bemerkungen zur Bereicherung der Wund-
arzneekunst, 1r Thl. S. 17.

Et Else in ejus Treatise on the Hydrocele etc.
übersetzt in der Sammlung auserlesener Abhandlungen
für Wundärzte, 5s St. S. 90.

et Underwood in ejus Treatise upon Ulcers of
the legs. Lond. 1783, übersetzt Leipzig 1786. 8. per-
quam laudant hunc tractationis modum.

rite confectis reliquum est, ut et fascias, quae partes ulceri contiguas circumdant, aequae ac laterum compressiones, infusione aromatica sive decoctione ex chinae, salicis vel fraxini corticibus, cui sub finem decoctionis larga dosis sumitatur. millefol. et non nihil aquae regiae Hungar. vel et spir. lavenduli compos. admixtum est, vel denique infusione ex chamomill., ruta, sabinina cum vino portense facta, subinde irrigentur. Quod autem attinet ad ulcus ipsum, si quidem multum aquosae saniae inde prorumpat, siccis pulveribus ut subtiliss. cortic. peruv. c. sem. lycopod. vel rad. caryophyll., c. parvulis portionibus hbae sabininae et id genus aliorum conspergi suademus. Quorum enim hic propositorum remediorum virtus est nempe incitans, iuxtaque roborans. Ceterum autem ulcus, si in eo parum excernitur puris, linamentis carptis, solutione chamomill. et millefol. c. parvis additamentis Trae aloes aut ess. myrrhae, asa foetid. etc. madendibus deligatur, quae vero solutio linimenti, dum quidem ejus copia in ulcus injecta fere semper absque effectu esse solet, consistentiam habeat necesse est.

§. 8.

c) Quando partes, quibus ulcus clausum est, nodosae, inaequales, parum dolorosae re-

periuntur, alia prorsus curandi via ingredienda videtur. Ad calosas, cartilagosas, spongiosasque quod attinet ulcerum, eas longe in quam plurimis casibus ex arte admodum artis imperiti cujusdam medici, neque vero ex causa morbigena, aut morbo ipso progigni, experientia utique nos docet. Unguenta adiposa et emplastra crassa lintea carpta, angustior vincturarum applicatio vel circum ulcus vel et supra id, immundities ejus, crebrior frictio etc. cum plurimum auctores hujusce vitii jure meritoque arguuntur. Nam rebus modo allatis noxiis, exhalantes cutis pori conglutinantur, deinde coalescunt et inaequaliter pressi tandem istas inaequalitates procreant. Ad margines autem talis moris ulcerum extirpandos nullum utique remedium, nisi culter censendum est maxime idoneum. Pro adhibendis enim medicamentis causticis, fines efficaciae eorum non nobis potestas est circum scribendi, tam operantium saepissime instar stimulorum noxiorum in fundum irritabilitate primum, quam facillime intensissimos dolores, aliave id genus mala cientium; neque, maxima licet data opera, interdum praecavere possumus, quin, sanie oras ulceris alluente, quidquid medicamentorum causticorum infundum descendat. Omnia igitur, quaecumque quis in partem contrariam afferre potuerit, fa-

gili negotio refutari posse, neque in ullis omnino casibus, si alioquin in ulcus convenienter agamus, scalpelli usum contraindicari arbitror. Pari modo et sola scarificatio orarum ulceris callosarum et deligatio cum digestivis pro ludis sunt censendae, nam inde futurum est, ut multo tardius et imperfectius, quae proposuimus, adsequamur.

Contra vero, si orae callosae recenter oratae sunt et ad huc exigui momenti, aegroti insuper cultrum metuente, tum tantum absit, quin remedia caustica omnis laude fraudemus utilitatis; at hic primas partes tenet lapis infernalis ob tutam eandemque praesentem efficaciam. Modus eo utendi sequens est: is exacutus, ut potius amplitudinem effectus ejus designare queamus ante aut ipse humectatur, aut et locum corro dendum, deinde in id ingeritur. Consuetudo, parti afflictae ejus punctim admovendi propter id, quod temere particulae decidere et in locum quodcunque rodendo alte descendere possint, pro judicio meo prorsus est rejicienda. Solutio autem e lapide infernali, dum ejus fortitudinem exactissime definire possumus valde melioris notae commendanda nobis videtur, et applicatur ope mollis penicilli, e pilis vel linteis carptis constantis, vel et in ulcere, magnum spatium occupante plumaceoli benefi-

cio. Calosae orae maximum ad curanda ulcera impedimentum haud dubie nobis opponunt. Inflammatorie durae, rubrae splendendesque, si quidem fomentationibus solis spongiae in fervida aqua intinctae, aut splenio emmollientibus decoctis madefacto non cedant, exigunt juxta modo commemorata conamina venae sectionem, uti irritabilitatem exaltatam frangens et mitigans remedium. Postea infriktiones unguento neapolitano, vel saponi mercuriali cum liniment. volat. identidem repetitae se utiles probabunt. Si partes, paululum ab ore ulceris remotiores, tuberibus, doloris autem expertibus consitae sunt, sublimatum cum sapone conjunctam sane valentissimum contra mala hujus conditionis habemus remedium. Quam ad rem compositio ex libra dimidia spiritus vini, sapone multa praegnantis et ex tantadem aqua destillata c. granis xij sublimati admodum idonea laudatur. Tenues nimirum et molles compressae ea matidae, sub inde istis partibus imponantur, sed tamen ita, ut non in iis exsiccatae premendo incitent; quater, quinque per diem intervallo duarum horarum inter singulas dato affatim sufficiunt. Ceterum et hic solutio supra laudata lapidis infernalis minime repudianda creditur. Quod si haec tubera admodum pertinacia deprehendantur et ad naturam scirrhi accedentia linimentum

ex unciis duobus saponis, una et dimidia drachma Sal. amoniaci et quatuor scrupulis extr. conii maculati in tanta concentrata infusione chamomilli, quanta ad crassitiem linimenti efficienda, usu comprobatum est remedium, ter, quater et quinquies quotidii illinendum, auro foliato obducendum. Hic equidem unguenta adiposa et multo magis emplastra sanationi adversari censeo. In utroque autem citato casu fascia, quod facile intellectu est, laxius circumvolvi debent.

§. 9.

d) Quando partes, circa ulcus jacentes, fistulis suffossae reperiuntur, tantum non semper culpam hujus rei in pravam tractationem non vero in ulceris ipsius naturam transferendam esse credunt. Nimis stricte ligare fascias supra ulcus et id cum linamentis carptis farcire ita, ut effluvium puris arceatur; situs partis male affectae inconueniens et ejus modi, cujus item sanies retineatur et inter musculos penetrare queat; abusus humidorum, tepidorumque cataplasmatum, quo fit, ut tela cellulosa partium, ulcus obsidentium, vel tonum perdat et laxior reddita eruptionem saniei stagnantis adjuvet; abusus adiposorum unguentorum, quae praeter relaxantem vim ulcus glutine quoque obducunt, quod posterius saepius fit emplastris;

plus justo ulcus fovere, quo generatio sanici mirum in modum multiplicatur; usus istarum minus quam par est incitantium et adeo magis in excretionem operantium et ob id in totum remittentium decoctionum rad. gramin., caric. arenar., bardann., sassaparill., liquirit., saponar., taraxac., fol. sennae etc.; negligere corroborationem topicam partium, quae ulceri vicinae sunt, inprimis ubi muscoli alii super alios deprehenduntur et ubi ob laxiorem earum cohaesionem sanies sibi patefacere vias potest; temere et imprudenter specillis fundum ulceris investigare quo textus cellulosus quam facillime transfodatur — haec et multa id genus alia in fistulis procreandis jure meritoque causas arguere possumus.

Ad curationem exacta fistularum, quarum plures inter se connexae sunt et quae flexuosis sinibus ad tam diversas directiones procedunt, ut earum conditionem non liceat pervestigare, exploratio aequae necessaria ac ardua est. Quae si sub cutem summam patent digitus ei admotus leniter et aequaliter premens, quo illa minus resistit, directionem earum inveniet; tamen alterum est in callosis fistulis, quia ob duritiem parietum diminuta resistentia sentiri non potest. Praeterea specilla usitata sunt ad pertendendas fistulas; at equidem non possum non, quin

rejiciam specilla ex resina elastica confecta, cum exploranti non distincte representant naturam parietum fistularum, quorum cognitio, respectu delectus remediorum adhibendorum habito, adeo magni momenti est, et quin ea, ex argento fabrifacta, propter id, quod flexionem, quae nobis placuit, datam retineant, longe illis praeferam. Neque non latentium, digito superficiem cutis ultro citroque premente, qua parte inde pus effluit, vias fistularum suspicari possumus; nam si pus tali odore et colore, qualem in carie alias observavimus praeditum est, aut quando non nihil bilis, urinae etc. simul cum pure prodit, tum id nobis certo indicit fistulas usque ad ossa, ad biliosam vesicam et urinosam descendentes. Idem et cursus doloris digito exploranti denotare potest. Anceps vero est injectionum indicium, exceptis superficialibus sinusitatibus, ubi integumenta cutanea tumescunt, sed et hic sensus digiti admoti apertius nos docet. Siquidem nobis contigerit, ut situm, conversionem, longitudinemque fistulae usquequaque cognitos habeamus, ratio universalis tractationis sinum earum principalem incedi jubent, nam fistulis in ulcus simplex et apertum mutatis, nobis copia est remediorum externe adhibendorum. In rarissimis tantum casibus opponantur obstacula, quae chirurgico cognitione

anatomices penitus instructo, separationem hancce artificiosam interdicere queant. In transitu sinus per tendines, nervos, arterias non exiguas, per perinaeum crassitudine polliculari usque ad superficiem, penetratio sinus in interna cava, in articulos et in alias nobiles partes haud dubie afferunt non exiguas difficultates; quae tamen omnes, rebus urgentibus, ab artis suae bene perito superari posse puto, scilicet si statim posthac magni nervi dissecantur et vasa incisa, filo circumdato, constringuntur. Distentio fistularum per tarundas ex materia, quaecunque sit, confectas multa secum gerit incommoda, nam illa primum tarde efficitur, deinde rarissime sufficit, tandem saepissime repetenda est, quin imo noxia fit temporis jactura. Neque hic in majori pretio est setaceum; nam assidue premendo incitans et ob id, quod frequenter adiposis in unguenda est generandi calli, et dum forte eo, quod cavum principalis sinus expletur, effluxus humoris vitiosi ex rivulis lateralibus in magnam fistulam interglutitur, oriendarum plurium fistularum occasionem praebere potest, ratione majoris doloris non computata. Numero item modorum fistulas curandi, incisio quam vocant contrariam et ligatura, habentur, sed nullo utraque est numero. Ad priorem quod attinet illa copiam praebet fortius in ulcus

invadendi aëris, qui, ut externus influxus noxius, quantum fieri potest, ab ulceribus cujusve generis suppurantibus avertendus est; deinde injectiones hic commendatae et propter ipsarum qualitatem et modum applicandi noxiae fieri possunt. Quae cum videlicet ex causticis medicamentis compositae esse solent, simplices fistulas potius callosas reddant, duras et ideo curationem diuturnam. Ad haec accedunt, ut, pro usu harum injectionum, si imprudenter et violenter fit, in tela cellulosa musculorum prope positorum ceteroquin remissa, facile novae fistulae gigni queant. Tantum quidem si incisione contraria liber exitus saniei efficitur, aut si os prius fistulae in parte nervis et vasis magis praedita existit, cujus ob destructionem procedentem inde de periculo localis debilitatis et affectionis totius organismi vere timeas, decet imo et oportet ea instituat, et quidem, quantum fieri potest in propinquitate minus nervis et vasis praeditae, liberae et ab aliis independentis cujusdam partis; idque vel maxime tum, cum fistulae recta linea tendunt et simplices perspiciuntur.

Quod attinet autem ad posterius, nempe ligaturam, plumbeum filum aut setaceum, apertura contraria antefacta, trajicitur per fistulam, ita, ut initio laxius obligetur, deinceps

autem in dies firmiter partium causa, quas illa comprehendit, sensim sensimque persecandarum. Haec methodus, praecipue retro temporis in ani fistulis usitata, multa incommoda secum affert, et curationem justo tardius impedit. Igitur, quis est, qui non inde colligat, in ferro tutius esse praesidium commodiusque? Praeter alia enim cultri commoda et hoc gravi ponderis est, ut is inflammationem ac suppurationem magis ordonatas et validiores efficiat, atque dehinc reproductionis, cujus discrimen in curandis fistulis jure meritoque summum censetur, functionem perquam adjuvet, cum e contrario ligatura, nisi callositates procreat, saltem deformes cicatrices relinquit.

Post incisum principale sinum et profluvium sanguinis cohibitam, fistulae, si forte sint, secundaria investiganda sunt et in eas eodem modo agendum. Nulla mollities animi, quae hic utique intempestiva habeatur, nobis obstat oportet, quo minus ad fistularum incisionem reliquarum progrediamur, eamque in aliud tempus differentes multifarie aegro noceamus, nam scilicet:

1) Quarum si una hodie praeciditur, gradus quidam inflammationis oritur, quae pro aegri constitutione modo vehementior, modo mitior evasura sit; alia alio die incisa item inflam-

matur, cum gradus inflammationis in prima praecisa fistula cessare forsitan inciperet; at aperta quidem tertia fistula tertio die eandem inflammationem deprehensuri sumus et sic porro, quo fit, ut in partibus diversis, quae parvum spatium occupant, manifeste disharmoniam respectu status earum incitationis procreemus, et multitudinem diversarum pro gradu inflammationum, quarum quaeque, si non a ratione curandi constituta discedere volumus, peculiarem sed fere semper effectum difficilem postulat tractationem.

Contra vero omnibus fistulis simul incisis, aequalis in tota, quae laborat, parte nisus formativus atque dehinc reproductio proinde aequalis ac fortis efficitur. Dum hoc modo omnia melius perspicere et arte dirigere queant, tempus quoque, quod ad curationem perfectam requiratur, mirum in modum contrahitur.

2) In inflammatione cujusque partis orta sensibilitas undique circum positarum partium quoque aucta est atque ob id incisio quaeque nova suscepta multo dolorosior sit oportet, quam illa non esset, si primo die, ubi nulla inflammatio animadvertebatur incisio omnium fistularum peracta fuisset.

3) Dum fistula alia post aliam aperitur et quidem diversis diebus, earum naturae cognitio

sero paratur quam ob rem in eas quae convenientissima est actio tardatur.

Ceterum considerantes, dolores denuo provocatos, inquietudinem, qua aegrotus, cogitans, quid sibi sit et in posterum tolerandum, vexatur, ut psychice debilitantes potentias nocere debere, minime omissuri sumus, omnibus fistulis manus uno eodemque tempore incidendis admoveere. Parietibus fistularum puris, injectiones ex infus. chamomill. cum melle vel aqua saccharata nec non conveniens compressio ita, ut sese attingere et glutinari possint, sat sufficiant. Injectiones non amplius quam ter quaterque per diem sunt applicandae propter accessum aëris, qui non evitari potest, deinde quod frequentioribus incitamentis injectiones noxiae fieri possint.

Contra illi, ut in quam plurimis casibus, callosi deprehenduntur, canales equidem istos pari modo ac ulcera cum callosis oris tractatos volo. Callus cultri beneficio tollatur, nec ullum temporis spiramentum iis scarificandis, digestivis unguentis et causticis consumatur remediis. Si quando parietum, quod interdum fit, callus se regeneret, tum contra excrescentias tales tutissime idemque valentissime agitur injectionibus e vulgari vel caustico Kali, juste diluto, vel et linteis carptis, eo madidis,

in fistularum sinu inmissis. Quae injectiones aut irrigationes ter quaterque per diem non amplius fiant, neque solutio alcalina sit acrior. Justa aestumatio pro conveniente proportione ita est, ut illa in ulcere tantummodo levem et volatiliter urentem sensum concitet. e. g. Kali carbon. drachm. unam vel lapid. caust. scrupl. in libra dimidia infus. chamomill. soluta; parvum additamentum aq. cohob. laurocerasi hic commendatum non indignum. In minori quidem ulceris contumacia infirma solutio merc. sublimat. (gr. viij. - xij. in aq. destill. libr. dimid.) se purgantem, incitantem et copiam saniei diminuentem ostendet; tamen equidem hic Kali carbonicum mercurio subl. praepono, quia semper in excrescentiis praeternaturalibus localem oxygenii abundantiam subesse, qui materiam plasticam condenset quem Kali melius resorbere scimus.

§. 10.

B. Localis tractatio ulceris ipsius et fundi ejus.

His praecipue nobis obviae veniunt tres indicationes:

- I. Sanies summovenda, regeneratio ejus diminuenda vel utique praecavenda atque e contrario suppuratio, quantum fieri potest, spisse mixta promovenda est.

- II. Fundus impuro saniei sedimento purgetur, excrescentiae ibidem cujuslibet generis praeternaturales auferantur et regeneratio posteriorum cohibeatur opus est.
- III. Activitas justa reproductionis processus ad compensandam substantiae jacturam incitari debet.

§. 11.

Irritabilis, quam vocant, debilitas vasorum systematis aut in sola male affecta parte aut in toto corpore, quo processus mixtionis innormalis redditur, proxima chronicorum ulcerum jure habetur causa. Intus roborans et incitans methodus et eodem tempore foris adhibita, similiterque nonnulla genera alterantis methodi extrinsecus in auxilium vocata, quoniam semper aberrationes in mixtione et forma solidorum fluidorumque organismi elementorum reperiantur, tribus hisce indicationibus, quas singulas copiosius enucleaturi sumus, plane respondebunt.

§. 12.

Prima indicatio.

Sanies summovenda, regeneratio ejus diminuenda vel utique praecavenda atque e con-

trario suppuratio, quantum fieri potest, spisse mixta promovenda est.

Magna ex parte praecipuum auxilium hic expectandum est ex tractatione partium ulcus cingentium ita instituta, uti in antecedentibus §§. demonstratum est. Cui et tractatio fundi conjungatur oportet. Si is perquam sensibilis perspicitur lintea carpta tra opii ut permulcente in forti infuso chamomill. delibuta ter quaterque per diem et quidem quaque vice per dimidiam horam, posthac per reliquum sicca et mollia ulceri imposita, efficacia se ostendent. Si fundus spongiosus est, et facile sanguinem mittens, tum solutio tenuis ex alumine in dcto chinae, quae systema vasorum et irritabile confirmat neque insuper vi sua adstringendi pigrius est remedium. In fundo ichorem sanguinosum, saniosumque (glutinosumque) excernente, solutionem merc. sublimat. commendamus, ob ejus indolem saniem acrem destruendi. Quando sanies putrida est, tum solutio lapidis infernal., recenter praeparata cum dcto chinae, pulv. chinae cum lycopod. aut cum pulv. carbonic. conjunctus, quae omnia sunt remedia antiseptica, saniem resorbent et sic avertent ejus noxium influxum. In primis hic maximae utilitatis est usus spongiae, quae mollis sit, ulcus expleat et sanie imbuta, repetatur opus est. Sin vero fundus

parum profundus, remissus, absque spongiosis tuberibus et duritie conspectui subjicitur, en! fibras tono carentes, atque in hoc casu se validum praebebit dctum ex cort. jugland. immatur. in libra una aquae, id per vices cum merc. praecip. insperso. Si caries autem sub fundo. delitescens persentiscitur, tum perquam utile est acid. phosphor. progressionem non solum pervalide morans, sed etiam jacturam acid. phosphor. in ossibus refarciens cum liquor. myrrhae et pulv. sabiniae, cui aliquid myrrhae adjectum est, remedia ad majorem in ulceris fundo activitatem moliendum idonea sunt. In fundo spongioso se efficax praestitit alumen ustum cum merc. praecipit. rubr. et in primis solut. lapid. infern., fundo ipsius firmiter deligatione quacunque compresso. Sed hic diligentissime quoque investigandum est, an causa istius spongiosae conditionis non in vitiis, ulceri subjecti ossis cujusdam, quod degeneratum esse queat et molles subter positas in consensum trahat, quaerenda sit? Neque haud unquam sanies denno se regenerat et ulcus jamjam glutinatum, recrudescit. Cujus mali saepissime distentio venarum varicosarum, proxime jacentium arguitur, nam illae dilatatae et alias partes prementes continuum incitamentum servant et succorum refluxum impediunt, quem casum saepissime

nobis obvium in ulceribus pedis videmus. Si hic involutiones et continuus et ad libellam aequus situs pedis nihil proficiunt, ligatura a Home proposita et duodecies tentata venae saphaenae subter genu instituenda est. Si quidem fundus et sanies ejus quasi hircum olet et papillae carnosae et aliae partes fundi sunt sordidae, fuscae vel subvirides, inde proclivitas earum ad putridinem et abundantia hydrogenii et carbonici se evolventium colligi possunt. At hic sane nos adjutum veniet oxygenium, adhibitum in forma gasii aut acido vitrioli utimur, quod non invitum aliis corporibus partem oxygenii suam impertit, nec non acido carbonico. Quibus ex remediis id eligendum, quod gradui sensibilitatis laborantis partis maxime conveniens putatur. Ad removendam vero saniem laxa, subinde repetita deligatio et congrua positio partis male affectae gravidi quoquo erunt ponderis. Accessus aëris in frequentibus ligationibus, ut olim credere, minime timendus est, quem e contrario salubriter in ulcus incitando operativum esse censeo. Regeneratio malae saniei quam optime, praeter traditam curationem fundi, prohibetur tractatione internae ejus causae vitiosae et conveniente partium proximarum.

Prima hucusque et secunda parte primae indicationis, quae in locali ulceris tractatione nobis offertur, inspectis, ad ultimam partem ejus, in qua scilicet indicata ad pus melioris indolis producendum exhibentur, aggredimur.

Ubi partes circa ulcus frigidae, fundum pallidum et saniem naturae aquosae animadvertimus, ibi defectus est liberi caloris, illius gravidae nisus formativi conditionis, atque in hac re applicatio artificiosa caloris ferri cujusdam candefacti ope, batillive carbonarii, vel etiam vitri ustorii, ita tamen, ut aegrotus inde non molestum sensum capiat sed potius gratum, tam simplex, quam convenientissimum est remedium; aut studemus fundum, ulceris partes juxta positas, et in universum totum organismum confirmando majorem activitatem omnium ejus systematorum revocare. Quem ad finem inserviunt praesertim circumfusio gasii oxygenici, leniter applicata galvanica vis, frequenter lavatio cum liquoribus spirituosis, involutiones fasciis e lana confectis, inspersio camphorae c. pulv. sabinæ; interne china c. chenopodio, arnica, camphora, liq. valerian. anodyn. In fundo sicco et doloroso, quando spasmus suppurationem coëreēt, hujus modi impedimenta sublaturi emollientibus, laxantibus et antispasmodicis cataplasmatibus utamur necesse est, e. g. ex-

terne pultis ex sem. lini, opio addito, non vero inter pannos sed immediatè subter fundum imposita — interne infus. sambuci c. tra thebaic. et vin. antimon. aut infusio valerian. c. iisdem additamentis. Neque raro incitamenta suppurationi justae abdominalia obstant, quae notis, sed non usque eo continuatis, ut debilitent, medicamentis et quidem optime in clysterum forma usitatis, summovenda sunt. At tempestatis fervidae nimio calore et dehinc profecta laxitate suppuratio malae naturae gignitur, et in hujus modi casibus lavatio frequentior fundi cum spongia frigida, cui, si velis, non nihil aceti, acidive vitrioli admisceri potest, aqua imbuta; interne usus acid. Haller. optime notae sunt commendandi. Interdum et causa malae suppurationis ex psoricis eruptionibus circa ulcus repetenda est, et hic ulcus calida saponata aqua, dct. ex cort. ulmi, in quo hepar. sulph. solutum est, aut aqua saturnina eluendum, in fundum lycopodium sulphurvé c. merc. praecipit. alb. immittendum, interne sulph., aethiop. miner., c. pulv. cinnamomi et per vices hunc istumve mercurium dandum curamus. Vitiosus mixtionis processus in systemate lymphatico remediis, quae ante omnia insignem vim in hoc exercent, in normalem permutatur.

Iam nos ad explicationem, quae secundae indicationi respondent, indicatorum convertimus.

§. 13.

Secunda indicatio.

Fundus impuro saniei sedimento purgetur, excrescentiae ibidem cujuslibet generis praeternaturales auferantur et regeneratio posteriorum cohibeatur opus est.

Simplicissimorum eorundemque valentissimorum id assequendi remediorum jamjam in antecedente indicatione mentio facta est. Ubi nimirum solum saniei sedimentum foedat, id quam optime praecavetur tali partis laborantis positione, cujus beneficio sanies statim defluere neque tempus se accumulandi sedimentumque deponendi nancisci queat; idem consequimur quoque apta saepissime repetita deligatione et spongia eo inmissa. Atque de absterso nitide linteolis fundo, aut abluto medianti aqua tepida ejusdemque saponata, cui multum Kali admixtum est, nihil detrimenti timeas quemadmodum in absterso pure fundi sanis et recentibus carneosis pupillis consiti, potius ut sperare queas te incitatione torpidi et tono carentis fundi, irritabilitate ejus adaucta, genus quoddam inflam-

mationis procreaturum et sic meliori confectioni suppurationis esse ob secundaturum. Quae ubi haec simplicia remedia non sufficiant, ibi topica et universalis debilitas nimia creditur, et a fortioribus auxilium est expetendum. Primo loco fundus linteis carptis essentia albes, balsami peruv. nigr., balsamo traumatico imbutis, obtegatur; aut alumine uto, quod permixtum est cum praecipitato rubro, pulv. sabinæ conspergatur, aut eluatur solutione lapid. caustic., lapid. infern., aq. virid. Hoffmanni et tandem ulcus deligetur subinde linimentis additis. Sin perspicuum est, in corrupta tela cellulosa et in excrescentiis praeternaturalibus culpam fundi impuri inesse; incumbas iis, quantum fieri potest, excidendis, nec committas earum remotionem suppurationi ipsi, quia usque dum id fiat totus organismus periculose affici potest. Reliquum est, ut regeneratio earum praecaveatur et id facillime efficitur crebriore elutione fundi cum valde diluto acido muriatico et deligatione cum uncto aegyptiaco, ungt. apostulorum, aeruginis, cui, si malum pertinax est, pulvis subtiliss. cort. chinae et ol. terebinth. admisceri possunt. Prima remedia vim habent rodendi et hoc modo regenerationem excrescentiarum praeternaturalium impediunt; incitamento autem eorum nisus for-

matus magis magisque adaugetur, qui et tonico remedio, pulvere chinae praeterea ordinatur. Ubi spongia canceratica in fundo provenit, pulvis a Bernardo et Cosmo laudatus (Rc. cinnabar. drachm. dimid., ciner. solear. gr. viij. Sanguin. Dracon. gr. vij, arsenic. alb. scrupl. ij) sed tamen tenuibus stratis inspergendum et post hac cum balsamo Locatelli ulcus deligandum est. Neque raro causam impuri fundi in hucusque latente paedarthrocace sive carie ossium ulceri subjectorum reperimus. Quod inde cognoscitur, si fundus spongiosum, lividum, subviridem et subnigrum se ostendit et ad lenem tactum ex una alterave parte per foramina aciem oculorum ante effugientia fusca, sordida subnigrave sanies ustorio quodam, et injucundo ammoniaci odore proserpit. Hic fundus linamentis carptis cum ess. myrrhae, quae ad partem octavam cum acid. phosphoric. permixta est, madidis imponendus; usus asae foetidae ut incitamenti systematis lymphatici cum sabina ut effectus prioris magis in vasa ossium deducatur; post quas forte infusum calami, rubiae tinctor. et non nihil mezerei, omnia specifica, quae in ossa praesertim operantur, bibendum indicantur. In solo autem fundo impuro usus internus infusi calam. arom. cum extr. trifol. fibrin. et aluminis vel dacti chinae c. alumine et elix. vitriol. Mynsichti

etc. commendandus est. Prolapsa activitas reproductiva hisce remediis et augetur et regulis convenienter ordinatur: Quem finem assecuti tam meliorem suppurationem, quam fundum purum videbimus.

Iam ad accuratiorem expositionem tertiae et ultimae indicationis in §. 10 a nobis propositae accedimus.

§. 14.

Indicatio tertia.

Activitas vera reproductionis processus ad compensandam materiam perditam incitari debet.

Remedia, pro ratione fundi ulceris haec sunt:

a) Influxus sicci caloris in eum. Calor ergo magnum illud, quod vocant agens, quo omnia animantia feruntur, operatur in omnia systemata et eorum activitatem animat. Calorem humidum hic non applicari posse, quin et imo contrarios effectus proferre facile ex legibus physices cognitu est. Calor quidem expeditus ductor electricae materiae est, quam valentissimum et necessarium vitale incitamentum in formationis processu agnoscimus oportet. Siccus calor succulorum ope furfure, libis aromaticis

vel pulv. cort. coriariorum impletorum, qui non premant necesse est, et quoties humiditate penetrati, permutentur et in universum si, quae intendimus, assecuturi simus, identidem repetantur. Per involutiones, partium laborantium cum pellibus leporinis, fasciis laneis modo negativo, liber calor topice incrementum capit. Sed in primis ad nostrum scopum hic inserviunt pelvis carbonaria, candens ferrum, quod effluentis caloris gratia juxta ulcus ultro citroque admovetur, calor solis vitriorum ustiorum ope concentratus, cujus usus jam in §. 12. mentionem fecimus. Insuper gas oxygenii circumfusum. Quibus cum remediis externis et sequentia interna conjungantur: dictum caffee, chinae, lichen islandicus, manganesium, camphora, vinum; nutrimenta gelatinosa modice condita. Hoc modo mediate calor multum incrementi capit; nam activitatem systematis vasorum roborando, in systema reproductionis fortibus nutrimentis operando et sic processum mixtionis augendo plus liberi caloris secundum leges physices evolutum habemus.

b) Vasa fundi et partium proximarum excitanda et corroboranda sunt. Vasa et praesertim ultimae ramificationes arteriarum sunt tanquam immediata instrumenta reproductionis. In iusta activitate om-

nes corporis partes perfecte nutritas videmus et quod quid forte perditum erat compensatum. Facile inde intellectu est, cur roborata vasa in inveteratis curandis ulceribus tam necessaria sint. Hic inserviunt deligatio cum liquamine myrrhae, essent. asae foetidae, aloës, sabinae; inspersio chinae cum camphora, rubri praecipitati, sabinae etc. Laevatio partium proximarum cum essent. balsami peruviani, tra benzoës, spiritu vini, balneum electricum, vis galvanica, sed haec ultima cum magna praecautione, quia dosin et facultatem ea recipiendi non designare possumus. Siccus, tepidus et oxygenii dives aër, quibus interdum ulcus obnoxium sit.

c) Quies partis laborantis. Quietem facile praecipuam restorationis reproductionisque esse conditionem, nutibus jam naturae nonnullis significatur. Ubi quidem reproductionis materiam advehens arteria, ad telam subtilem organi, cujus nutritioni addicta est, pervenit, multiplices rami, qui ex eorum divisione prodeunt, formant per frequentes anastomoses densum quoddam reticulum et telam hujus organi usque quaque pervadunt; hi maeandri, venia sit verbo, parvarum arteriarum, quibus negotium reproducendi (nam et nutritio est supplementi modus) impositum est, sicut et id, quod ipsorum cutem musculosam

exierunt, multum contribuunt, ad retardandam sanguinis circulationem in interiori organo, in cujus restitutio adtritarum vel morbo perditarum solidarum fibrarum agitur. Illud modo memoratum reticulum vasorum delicatarum hic sejungitur in minores et frequentiores ramulos, qui vel in fasciculos consociati, aut instar nodulorum in cellis prominent; aut reticulosis plexibus cellularum parietes obducunt. Ex tenuibus deinde, quae si distendi patiuntur, membranis horum plexuum, quibus haec vasa intercepta sunt, cum pulso quoque majorum anteriorumque truncorum et ramorum plastica illa pars sanguinis in cellulas penetrat, ubi modo ad nutritionem, modo ad reproductionem consumitur. Cellula ob laxam suam structuram non satis vehementer eum propulsare potest, sed tranquille in solidam fibram coagulare et formari patitur. Quam diu in laesa quadam parte vehemens febris animadvertitur, quae se pulsu forti et topico manifestare solet, tam diu nec quidquam reproductionis locum habet. — Atque profecto saltem omnium gravissima causa illius adeo difficilis et vix unquam efficiendae reproductionis destructorum pulmonum in eo ponenda est, quod hocce organon necessario in sempiterno motu sit opus est et ejus vasa ob oxygenium ei assidue impertitum incitantur et

ideo vividius pulsant. Tandem experientia docet, quietem afflictæ partis reproductioni mirum in modum favere. Attamen ex altera parte cavendum est, ne pro quiete modum excedamus et inde vera directa, quam vocant asthenia, progignatur. Lenis autem motus subinde repetitus, et quidem activus partis male affectæ, quo et muscoli, ulceri proximi modice agitantur, diversissimis ex causis ad reproductionem multum contribuit.

d) *Sustentatio mechanica reproductentium organorum.* Illa cohaesionem et tonum fibrarum ad validiorem activitatem incitat. Atque hoc loco haud dubie tum convenientes involutiones quum orarum ulceris appropinquationes artificiose effectæ, compressarum ope, fasciarum et emplastrorum, figendo servientium, intentionibus nostris respondebunt.

e) *Evitatio luxurientis carnis incrementi.* Irregularis ille et male ductus nisus formativus prohibetur et deletur solutione lapidis infernalis, aluminis vel sublimati; nec minoris efficaciae sunt congrua impressio supra fundum et alia jam tum in tractatione partium ulceri contiguarum et in prima indicatione proposita remedia; nam excrescentiæ hujus modi

semper irritabilem localem vasorum ulceris debilitatem significant.

f) *Topice roborans curatio posterior.* Qua sine vel tenuissima causa ulcus rursum gignitur; epidermide quidem delicata quacunque modo laesa, illud superne vel clausum, post brevius aut longius tempus serius citiusque recrudescit. Cataplasmata roborantia e spiritu vini, dco cortic. querc., chinae, nuc. jugland., aq. vegeto-miner. Goulardi, evitata frictio recentis epidermidis, incitatio et debilitatio per involutiones, tales casus avertere possunt.

§. 15.

Secunda sectio.

Summae tractationis, quoad organismum male affectum, rationes.

Illæ est haud dubie gravissima pars artis medicæ in curandis ulceribus, cum hæc quidem tantum raro, saltem non longum temporis spatium, per se consistentia localia vitia remanent.

§. 16.

In omnibus casibus, ubi ulcus secundarium vitium antecedentis cujusdam specialis cachexiæ

observamus, ratio curandi a peculiari posterioris natura petenda est. In scorbuticis igitur ulceribus antiscorbutica medicamenta, in venereis antisypilitica, in scrophulosis antiscrophulosa etc. indicantur. Tractatio singularum harum cachexiarum imprimis nos occupabit et ejus ulceris ipsius, ut rei secundariae, nam id evanescit, cachexia speciali sanata.

§. 17.

Quod si autem ulcus antecessit et ob diurnitatem ejus affectio universalis ut secundaria conditio secuta est, hic incitantia et juxta roborantia medicamenta cum restaurantibus copulata adhibenda sunt. — Nam universalis affectio tantum eo orta est, quod ad copiosam sanie formandam multum lymphae corpori subtrahebatur et dolore atque turbatione functionum in parte laborante ibi restauratio prohibebatur, quo et reliquus organismus, quippe qui aequalem in omnibus partibus extendere irritabilitatem conservare assidui nititur, affici debuit.

§. 18.

Quo torpidior totius organismi irritabilitas, eo glutinosior, aquosior et minus rodens, quam ulcus excernit, sanies erit; quo diminu-

tior temperies in universo organismo et in partibus, ulcus circumdantibus, quo oedematosa totum et singula, eo magis methodus incitans postulatur, et quidem in principio magnae doses porrigantur opus erit, postea autem sensim parciores. E contrario autem apud irritabilem concitationis debilitatem, ubi facultas percipiendi exaltata est, reagenti vero delapsa; quae conditio cognoscitur ex adaucta sensibilitate et dolore cum in ulcere et proximarum partium, tum in toto organismo, denique et ex copiosioris et tenuioris saniei indole, ex spongiosa fundi luxuriantium excrescentium etc.; rebus ita comparatis nobis ab incitante methodo et id quidem, quod eo ultima scintilla reagentis factoris sic dictae irritabilitatis exstingueretur, abstinendum et a mitigante methodo cum roborante consociata auxilium est expectandum. —

§. 19.

In ulteriore decursu curationis, nullis casibus exceptis, necessario corroborans methodus superior aliis sit oportet, ne sis parcius dosium hic indicatorum remediorum, atque elige valentissima, si quicquid praestare et progressum mali quam citissime cohibere vis, semper cogitans, consumptionem quam rapidissime in-

gravescere. Antè omnia maximi momenti est confirmatio nervorum et subtilium vasorum systematis. Utrumque finem augendo oxygenio in organismo assecuturi sumus. Longe inter alia nervina hic praestant: china, quassia, ferrum, millefol., caryophyll. extr. et fortis infus. chamomill.; Elix. acid. Haller., frigida balnea: Quae ob vires ipsorum eximias roborantes systemati vasorum amica laudantur remedia, sunt: manganesium, oxygenium, carbonicum, aquae minerales ferrosae, balnea aërosa, cort. chinæ, ferrum, rubia tinctorum, alumen, lenis motus, vetustum vinum etc.

§. 20.

Ante vero adhibitam roborantem methodum conditionis vasorum, pro coctione destinatorum, ratio habenda est. Nam depravata coctione, assumpta neque juste redigi, chylus normaliter misceri, neque de hinc recte fortis et incitans sanguis constitui potest. Qua sine omnia corroboramenta sic dicta non ut talia se exerent, sed potius magnitudinem noxiarum in ventriculo et in intestinis potentiaturum adaugebunt, quia utique non concoqui possunt. Itaque illis initio aromatica addere debemus. Saepissime id, propter quod roborantia remedia

non recipiuntur, in materiis saburralibus positum est, quae sine ulla longa resolvente sic dicta preparativa curatione, quam manifeste debilitare et ibi materias saburrales, ubi nihil omnino earum exstiterit, procreare scimus, recta via removendae sunt. Maximum sane influxum quam frequentissime habent in malignitatem et diurnitatem ulcerum putatitii et alii ejus generis infarctus. Qui quidem nobis testimonio sunt, efficacitatem systematis concoctionis prostratam esse. et qui adeo mechanica dilatatione intestina diversis inde se evolventium vaporum generibus, inhibitione liberae circulationis, disharmonia et intemperie viscerum abdominalium inductis, vitiosa mixtione materiae plasticae, ejusque mala distributione et tandem vasis reproducentibus permutatis infirmiora reddant. At hi quidem infarctus solvendi et subducendi sunt, minime vero purgationibus heroicis et quidem salibus mediis, dum ea majorem languorem relinquerent, imò autem lenibus incitantibus, sedantibus, involventibus, emollientibus, incidentibus remediis, quam optime in forma Clysterum, tamen et interdum per os ingerendis. Omnia enim haec medicamenta sedant, restituunt abolitum aequilibrium in concoctionis organis et tandem coërcentes spasmos solvunt. Hoc est Kaemphii visceralis sic dicta methodus.

Quam ad rem apta censentur: rad. valer. taraxaci, saponar., calam. arom., fl. chamom., verbasc., malv., tanaceti, hba card. bened., fumariae, millefol., marrub. alb. etc. Omnia haec medicamenta, ut jam diximus, quam convenientissime in clysterum forma adhibentur et quidem sic: Manipulus nonnullarum harum specierum et tantundem furfuris tosti fervida vel, ubi proclivis ventriculus ad acidas eructiones deprehenditur, calcaria aqua infunditur et, si per noctem totam stet infusum filtratur et ad singulum clysterem, quem aegrotus tam diu, quam fieri potest, retinere studeat oportet, circa tria vascula sumenda sunt. Interne haec tractatio adjuvatur usu tartari emetici in interruptio et talibus dosibus, quae vomitum concitent, et benigna quassatione in nervorum systema itemque vasorum agant; ut rhabarbarina extr. saponar., taraxaci, marrub. alb., gratioli, card. benedict. cum additamentis aromaticis. Post primas vias purgatas corroboratio earum efficitur amaris extractis, herba millefol., rad. caryophyll., absinth., cort. aurant., chinae, salic., quercus, hyppocastani, angustur., rad. gentian., columbo, quass., martis praeparatis, aq. mineral. martial. Pyramonti, Driburgensis, Spaaensis, Schwalbachiensis, elix. acid. Haller., frictione abdominis, gestione cingulorum, spe-

ciebus aromaticis vel pulvere cort. coriarii impletorum etc.

§. 21.

Methodus restaurans, ut jactura materiae, quam corpus generatione saniei perpressum est, refarciatur, quanta sit, adhibeatur opus est et illa igitur eo inprimis spectabit:

1) Ut sufficiens materiae copia extrinsecus advehatur. Copia autem pro gradu concoctionis et jactura materiae perlatae aestumatur.

2) Ut materies ingesta perfecte assimiletur. Victus igitur tales esse debent, quibus, respectu incitabilitatis praesentis organorum digerentium habito, idonei stimuli insint, et quidem, quo torpidiora organa illa, et stimulantiores, quo exaltatior sensibilitas, eo blandiores et molliores, cibi assumantur oportet. Non omnia autem, quae mandi et hauri possunt, idonea sunt ad materiam restaurandam, sed cibi ejusmodi materias comprehendere debent, quae in animale organicam materiam sint mutatu facillimae, in parva quantitate multum nutritivae materiae continentis.

3) Ut materia sanguini justum gradum glutinationis praebeat. Sanguinis colla, quod ad progignendum pus consumitur,

et quod; ut ita dicam, peculiare materiale formativum in organico animali corpore habetur ut restituatur remediis, quae pro ipsorum elementis illi sunt simillima, studere est nostrum primum officium. Remedia hujus moris reperiuntur in regno plantarum: ut mucilago, saccharicum, amyllum, gluten, materia albuminosa; in regno animali: gelatina, lympha coagulabilis. Quò igitur plura elementa hujus generis cibi et id quidem ad parvam quantitatem complectuntur, eo aptiores sunt ad colligentem partem supplendam.

4) Ut deductio copiae ejus justae ad ulcus sustentetur. Id fieri quam simplicissime potest, si ulcus, partes proximas et fundus ejus tepide habemus et illis torpidis, leniter incitantes tractamus, parte laborante tantum laxius deligata et in tranquillo situ posita.

5) Ne tandem nimia impletio progignatur. Nam nimia impletione vasorum sanguine haec perpetuo distenduntur et eorum reactio in sanguinem, adeoque omnis activitas impeditur; dehinc necesse est, ut vi eorum affecta, debilitas sequatur et sanguis non valide probeque subigatur.

§. 22.

Conjunctione ambarum methodorum, in-

citantis nempe roborantisque, cum methodo restaurante, adeo necessarius processus reproductionis et vegetationis in integrum restituitur.

§. 23.

At vel in primario totius organismi vitio et in secundarie ortis ulceribus valent, ubi nulla specialis prioris cachexia animadvertitur, praecedentes regulae. Si vero peculiaris cachexia eminens est, ut scrophuli, tussis anhelata, scorbutus, lepra, lues venerea etc. haec ut principalis morbus secundum leges, a speciali therapia praescriptas, tractatur et localis affectio ex rationibus, in superioribus §§ designatis.

§. 24.

Ratio vivendi.

Pro aëre. Tepidum et siccum hic ob id commendamus aegrotis, quod ut vivificus stimulus in irritationem operatur ethoc modo activitatem adauget nisus formativi. Qua re in coelisteptidis quam rarissime ulcera pertinacia chronica, sed frequentiora et contumaciora in omnibus frigidis et humidis reperiuntur regionibus. Detrimentum gelidi et humidi aëris in eo consistit, quod corpori liberi jussu majorem copiam calorigi subtrahit, perspirationem opprimit, quo

fit, ut excretum carbonicum et gas hydrogenium sulphuratum et carbonatum retineatur; insuper, respiratione aucta, cutis plus humiditatis in massam succorum ex atmosphaera recipit, tandem, his per id irritationis ex partibus factis, sequitur indirecta debilitas, tarda circulatio, languor corporis et animi, omnes potentiae nisi formativo inimicissimae. Pari detrimento sunt humida et vapore plena conclavia ista sive loca, ubi aegroti commorantur. Carbonico retento, succi acres redduntur et itaque dehinc generatio ulcerum penes pauperes et in carceribus clausos plerumque explicare queamus. Aër igitur sit purus, oxygenii dives; quibus enim sub conditionibus sanguis juste rubefit, incitans et lympa ejus ad coagulandum et succi ad propellendum carbonicum supervacuum per cutem et pulmones idonei efficiuntur. Nimiis aestus ex altera parte item nocet, procreans incitationis hyperstheniam, quam, processu hoc modo vitalis activitatis accelerato, multa materia consumatur, debilitas indirecta sequatur necesse est. Enunciatio illa, ulcus quam solertissime ab tactu aerae atmosphaericae praecavere, minime in universum accipiendam esse censeo, cum circumfusio puri, sicci et tepidi aëris salubriter incitans in valde asthenicum fundum ulceris operari queat.

§. 25.

2) Quoad victum. Plura de hoc in §. 21 in restaurante methodo jam monita sunt; ad haec respiciens paucis hic me absolvam. Omnia nutrimenta facilia concoctu sint oportet, ne coctio, praeterea debilitata, magis etiam afficiatur; in parva quantitate multum nutritivae materiae assimilatu haud difficilis, sit contentum. Pro ratione virium digerentium copia augenda terminetur. Ut consuetudo jam vivendi fert, cibus ex regno vegetabili cum eo ex regno animali permisceatur; tamen vero, nonnullis tantum casibus exceptis, e. g. in proclivitate organisationis ad colliquationem et in tempestate fervida etc.; in universum expeditius est, plura nutrimenta, quia digestu faciliora continent, ex regno vegetabili assumi. Condimenta, et in primis amara et aromaticae herbae, ut intubus, nasturtium, cichoreum, taraxacum, asperagi lupuli, anethum, petroselinum, cuminum etc. Vapidi, tenaces, duri cibi nocent positive, dum ad eos assimilandos multae vires exiguntur et negative, quia parum materiae organicae ad supplementum advehunt. Alimenta, quae multum collae et amyli continent aliis sunt praeferenda; his similia sunt ea vegetabilia, quibus multum materiae sacchari inest, ut radix sisari, avenae, scorzonerae, pisa recentia, daucus sa-

tivus, faba grandior, apium dulce etc. Sed haec omnia requirunt bonam coctionem. Ubi atrabiliares infarctus, vel aliae colliquativae biliosae materiae in abdomine causae aut incitamenta arguuntur, commendandi sunt subacidi fructus, ut melones, cucumeres, cerasa, pruna, poma, uvae etc. Quanquam respiciendum hic simul semper sit ad organorum digerentium naturam et ne qua forte subsit intemperantia.

Quoad potiones. Praesertim conveniunt omnes subacidae minerales aquae cum lacte aut, prout conditiones sint, vino permixtae, et hic quidem in debili coctione additamento lactis praefendus est. Coffea rarissime nocet, e contrario illa auget digestionem et insuper incitat systema vasorum. Cerevisia nec nimis vetusta, nec nimis nova, et foeculenta, praecipue illa ex Anglia advecta et sub nomine Porter undique celebrata, vetustum vinum inter prandendum et coenandum, chocolata curationem sane promovebunt; reliquum tempus aqua convenientissima potio est. In omnibus iisdem casibus, ubi paulo ante vegetabilia aliis praeferebam, aquae ut potioni acidum Halleri admiscere salubre erit. Vesperi pauca sunt assumenda et quidem frigida, quia irritabilitatis vis in toto organismo et adeo quoque in ventriculo mirum

in modum eo temporis prolapsa est, et adeo tantum pauca digerere potest.

§. 26.

Somnus et vigilia. Prospiciendum omnino est omnibus, quae eum turbare possint, promovendis de somno tranquillo; in universum octo horae per diem et noctem sufficiunt. Cubiculum sit purum, frigidiusculum et soli matutino expositum. Valde necessarium est, ut aditus ei subinde aeris curetur, ut coelo liberi stragula exponantur, ad propellendos saniei vapores, neque sellas familiaricas in eo tollerentur. Integumenta inter dormiendum sint levia, neque prementia. Dormitio in pulvinis, pilis expletis, culeitis plumis refertis praeferenda, quia totum corpus in illis aequaliter et tute quiescere potest. Situs tempore somni in dextro latere suadetur, neque cursatus, ut omnes remittant muscoli et circulatio sanguinis liberius procedat. In mala digestionem quies meridiana non vero citra horam saluberrima est, nam tum activitates omnium functionum et praecipue animi activitas, quiescunt ventriculi majorum vim haurire potest.

§. 27.

De quiete et motu. Data malae cons-

ditionis sit sanies, plus motus laborans pars exigit, saltem passivi. Musculi eo agitati exserunt incitamentum ad majorem activitatem pro vasis et nervis. Sanie meliore facta et reproductione accipiente quies non sit nimia, quia inde debilitas directa evadat, nam lenis motus se exserit tamquam incitamentum restaurans. De situ, cui ulcus adhaeret jam in ejus tractatione locuti sumus. Status in ulceribus pedum nocet pressione totius corporis in vasa inferiorum extremitatum et eo retardat refluxum sanguinis, incessus igitur nimis detrimenti affert.

§. 28.

Excreta et retenta. Expirationes dejectio alvi, urinae leni modo et in plerisque casibus negative, removendis obstaculis servandae sunt. His viis azoticum, Hydrogenium et carbonicum abundans, quae succos magis incitantes et acres reddunt, corporis diminuuntur. Balnea et simul frictio in iis saepissime una omnes tres illas excretiones promovent; nam cutis activitate hoc modo provocata, antagonismi ope activitas et intestinorum canalis incitatur, et statu convulsionis, si qui sit, remoto excretio quoque urinae augetur. Neque alienae hic sunt ad promovendas excretiones et expirationes

conveniens et sufficiens potio lenis motus et liberum coelum. Libera exspiratio partium, ulceri proximarum, quae hic tanti momenti est, efficitur evitandis emplastris, unguentisque et deligatione subinde repetita, ablutioneque cum aqua saponata et tandem frictione et corroborante tractatione peripheriae.

§. 29.

Affectus et perturbationes animi. Omnes animi deprimentes affectus ut terror, metus, qui statum quendam in cutaneis vasis spasmi excitant et dehinc liberam exspirationem impediunt, internam nimiam impletionem proferunt; omnes et deprimentes libidines, ut desiderium, sollicitudo, tristitia, invidia etc., in abdomen operantes, ibi infarctus et profluvia commovent et ita omnem restaurationem prohibent, sunt quam solertissimae evitendae. Levis ira in debili digestionem et quidem penes homines phlegmaticos ob vim excitandi interdum perquam salubris est.

§. 30.

Externe adplicata. Multa de his supra monita sunt. In universum eo spectant

mundities, non stricta deligatio circa fundam, mollia linamenta carpta, ne pressione non necessaria noceatur. Evitandas quoque sunt fritiones, pressio, contusio, humiditas, frigus. Unguenta et emplastra glutine poros obducunt, cataplasmatibus eos remittunt.

T h e s e s.

1.

Nullum, sub conditionibus quibusdam, percepti partus certum indicium esse, contendo.

2.

Gonorrhoeae malignae et ulcerum venereorum virus unum idemque est.

3.

Vera decretoria sanguinis profluvia semper activa deprehenduntur.

4.

Stadium incrementis morbi in multiplicatione et stadium decrementis in successiva diminutione laborantium organorum positum esse, arbitror.

5.

Reclinatio cataractae depressioni est praefenda.

6.

Definitiones medicamentorum et toxicorum
sunt quam maxime comparate accipien-
dae.

7.

Omnes colli positiones, tempore partus,
positione cervicis excepta, prorsus postu-
lant versionem foetus in pedes.

8.

In cognoscendis et dijudicandis infantum
morbis plerumque non nisi pathologica
Physiognomia et ceteris signis, ex habitu
sumtis, duci possumus.
